

His nuntiis acceptis Galba,

cum *neque* opus hibernorum munitionesque plene **essent perfectae** *neque* de frumento reliquoque commeatu satis **esset provisum**,
quod **deditione facta** et **obsidibus acceptis** nihil de bello timendum **existimaverat**,
consilio celeriter convocato sententias **exquirere coepit**.

390

quo in consilio, cum tantum repentini periculi praeter opinionem accidisset ac iam omnia fere superiora loca multitudine armatorum completa conspicerentur *neque* subsidio veniri *neque* commeatus supportari interclusis itineribus possent, prope iam desperata salute nonnullae huiusmodi sententiae dicebantur, ut impedimentis relictis eruptione facta isdem itineribus, quibus eo pervenissent, ad salutem contenderent. maiori tamen parti placuit hoc reservato ad extremum consilio interim rei eventum experiri et castra defendere.